CUP21 g.15/33

THOMÆ PENNANT Armigero, Cambro-Britanno, iter in Cambriâ facienti, carmina hæc cum Salute ſummâque Obſervantiâ, dedicat Popularis Ejus et Amicus, R. W.

DUM Tu per patriæ fines et rura vagaris,
Perlege verſiculos, ſi vacet hora, meos;
Et Latios ne ſperne modos, ſeu ripa Sabrinæ
Detinet errantes, ſeu Venefreda, pedes:
Altera virgineo de Sanguine dicta, ſed Illa
Clarior ob mortem, merſa Sabrina, tuam.—
Quæ tibi debentur laudes, quam fama perennis,
Pingenti Indigenæ flumina et arva Soli!
Lætitiâ exultet Snöedon; ovet unda Conovî;
Deva triumphantes in mare volvat aquas!

Relliquias

Relliquias viſurus adeſt, quas Cambria jactat,
Illuſtrans patrios Advena gratus agros ;
Ut tumulum antiquum referet, quô dormiit Arthur,
Quô Tudor, et cineres quæ tegat urna tuos,
Glyndwr armipotens, et te generoſe Lewellyn,
Muſaque quam vetuit, Boädicea, mori.
Quid taceam, Germane, tuam ſine ſanguine Palmam ?
Victaque Cambriacis, Saxôna tela ſonis ?—
Inclinate comas et eunti plaudite, Quercus ;
Atque Ave felici nobile tendat iter.
Scriptorem intereà per ſomnia cingite, Bardi,
Et pluſquam humanam confiteatur opem :
Audiat, aut audire chorum videatur inanem,
Neſcio quid patriâ dulce ſonore Lyrâ.
Ex ſomno, tali ſub imagine, ſæpè reſurgat,
Admirans veterûm fortia Facta Patrûm.—

Vidiſti

Vidiſti rapidas quô turbide torqueat Undas
Rhaiader, et quâ vi præcipitata ruat;
Nonne juvat, terretque ſimul, dum concava ſaxa
Verberat, ille nigræ ſpumeus horror Aquæ?
Nubila vidiſti ſuperantem Möelvammam,
Sub pedibuſque tuis intonuiſſe Polum:
Lubricus in ſummâ Plinlimmonis Arce ſtetiſti,
Cum nivis hybernam conderet imber humum:
Quin etiam et vetitos Lucos, atque abdita Vâtûm
Atria, mortali vix adeunda pede,
Cum Druidæ, cum Mona fuit, ſecurus adire
Auſus es, et ſacri Mira referre loci.
Auſus es Aerium Snöedona aſcendere, et ecquid
Nativis potuit grandius eſſe Jugis?
Pulchrius his ecquid jactavit Scotia? et illic
Quod non invenias, Hebrides ecquid habent?—
Olim erat iſtius Caractacus incola terræ,
Nomen adhuc Muſis, Cambria, dulce tuis;

Quippè

c 1790 £225

Quippè diù hoſtiles haſtas, dum fata ſinebant,
Repulit, et turpi Regia Colla jugo
Inviolata diù tenuit, patriæ Ille redemptor,
Contemptorque Aquilæ, Roma ſuperba, tuæ.
At ſeges eſt, ubi magna ſtetêre Palatia quondam
Principis, atque avido nil niſi Fama rogo
Nunc ſupereſt; et Tu, Patriam qui pingis, et illum,
(Sit procul iſta dies!) nil niſi Pulvis eris.
Laus tamen eternum, vigeat dum Cambria, vivet;
Et tecum ô poſſit vivere muſa mea!

BRITISH LIBRARY 30 NOV 89